

et 51. post Bartolum l. *De minore*. § *Plurimum*. n. 23. ff. *de Question.*; Fagnanus c. *Qualiter et quando*. il. 2. n. 83. *de Accusat.* post Innocentium ibid. n. 1. et Mascardus cit. concl. 750. n. 12. 16. et 17. allegans alios; ex quibus nulli dicunt, istud etiam procedere, licet testes non sint interrogati. Ratio est: quia fama debet habere originem ab honestis et providis, et non malevolis personis, neque ab iis, de quarum commodo agitur, cit. c. *Qualiter et quando*. 24. *de Accusat.* et c. *Licet ex quadam*. h. t. cum similibus. Hoc autem iudici constare nequit, nisi certæ personæ, saltem duæ nominentur: alioquin, ut l. *Decurionum*. c. *de Pœnis*. dicitur, « Vanæ voces populi non sunt audiendæ. »

398. *Ac reddere causam scientiæ, et dicti sui.* — Addit Alexander consil. 70. n. 6. vol. 3. et consil. 25. n. 5. vol. 4; Sperellus cit. decis. 173. n. 39. allegans Rotam coram card. Mantica, decis. 279. n. 9. et Mascardus d. concl. 750. n. 12. et 15. post Bertrandum, consil. 126. n. 8. vol. 7; Decium cap. 1. n. 20. *de Appellat.* et plures alios, quod testes super fama deponentes, non solum teneantur reddere causam scientiæ suæ, attestando videlicet quod publice sic audierint dici a majori parte communitatis: sed insuper debeant dare causam dicti sui, nempe assignando causas probabiles, ex quibus inductus est populus ad sic credendum puta, qui personæ illæ honestæ, a quibus fama traxit originem, asseruerunt, ita se vidisse oculis suis; vel quia is, de cuius morte dicitur publica fama extare, ingressus est conflictum bellicum, aut navigans passus est naufragium, et amplius non est inventus, nec comparuit, licet diu expectaretur, vel huiusmodi. Nisi (inquiunt) huiusmodi causæ probabiles exortæ famæ assignentur, non censetur fama probata, sed potius dicitur esse probatum de vanis vocibus populi, quæ audiri non debent cit. l. *Decurionum*. c. *de Pœnis*.

399. *Simulque deponere de tempore, a quo fama traxit originem. Fama est difficilis probationis.* — Resp. V. Ad famam legitime probandam ulterius requiritur: quod testes illi deponant de tempore, a quo fama traxit originem: nam, ut probent famam, requiritur, quod ita audierint ante litem motam; alioquin præsumeretur orta fama primum occasione litis motæ, seu ex contestatione ipsius. Desumitur istud ex c. *Licet ex quadam*. § *Nisi forte*. 47. h. t. ac notat Abbas ibid. n.

3. et Ancharanus n. 5. et Mascardus cit. concl. 750. n. 30. et 31. Qui tamen Mascardus illico subjungit, istud intelligendum esse, quando testis interrogatur de tempore: quia, si non fuerit interrogatus, neque expresso deposuerit de tempore, præsumitur famam jam extitisse ante litem motam, nisi aliud ex depositione ipsius deprehendatur; ut voluit decisio Rotæ coram domino de Rubeis. 1563 mens. decemb. in causa Toletanæ Portionis: apud quem nonnulla alia de conditionibus ad probationem famæ requisitis; quæ cum tam multæ sint, non mirum, quod fama censeatur esse difficilis probationis; adeo, ut Grammaticus consil. *criminal.* 42. n. 8. quem refert Sperellus d. decis. 173. n. 43. et Menochius cit. consil. 701. n. 51. cum nonnullis aliis dixerit, toto tempore vitæ suæ nunquam se vidisse processum, in quo fama legitime probata fuerit.

400. *Quis sit effectus famæ, seu quam vim probandi habeat? Fama regulariter plenam fidem non facit.* — Queritur III. Quis sit effectus famæ, seu quam vim probandi habeat? Resp. I. Fama regulariter plenam probationem non facit. Ita Glossa can. *Si testis*. 4. q. 3. §. *Fama*; Abbas c. *Transmissa*. n. 10. *Qui filii sunt legit.*; Felinus c. *Per tuas*. n. 15. *de Probat.*; Mascardus *de Probat.* concl. 754. n. 1. allegans communem. Ratio est, quia fama sæpe est fallax, teste experientia: nam « dictum unius, facile sequitur multitudo, » prout notavit pontifex c. *Cum in juventute de Purgat. canon.*

401. *Utrum fama faciat semiplenam probationem, variant doctores.* — Resp. II. Utrum fama faciat semiplenam probationem, variant doctores; et melius istud iudicis arbitrio relinquitur, qui, pensata qualitate famæ, causisque seu conjecturis, et personis, a quibus traxit originem, ipsiusque negotii gravitate, et aliis circumstantiis, vim probandi ipsius, iudicabit. Ita Abbas c. *Veniens ad nos*. 10. l. 8. et Felinus ibid. n. 11. h. t.; Bartolus *De minore*. § *Plurimum*. circa fin. ff. *de Question.*; Mascardus, *de Probat.* concl. 754. n. 6. allegans alios.

402. *Refertur sententia asserentium, famam per se nihil probare.* — Et quidem prior pars, seu quod circa hoc variant doctores: patet inductione. Nam quod fama per se, ac sine aliis adminiculis nihil probet, tradit Glossa can. *Si testes*. 4. q. 3. §. *Fama*, dicens, « quod fama per se nihil probat. » Idemque in re tenent omnes illi, qui volunt, famam

se sola non inducere semiplenam probationem, sed tantummodo coadjuvare probationem factam; ita nimirum, ut si utriusque partis probationes essent æquales, et altera pars insuper pro se haberet famam, ista vinceret: pro qua sententia Bartolus, ubi supra, allegat Jacob. de Aretio, et Ant. de Pisis, et Jacob. Butrium; quibus plures alios addit Mascardus loc. cit. n. 5. Accedit ratio, quia probatio debet necessario concludere, c. *In presentia*. 8. *de Probation.* cum similibus: atqui fama est fallax; ergo.

403. *Alii tenent, quod fama legitime probata, semiplenam probationem inducat in causis civilibus.* — Econtra, quod fama legitime probata, ut supra, semiplenam probationem inducat, saltem in causis civilibus (secus in criminalibus, ubi requiruntur probationes indubitatae, et luce clariores) insinuat Glossa c. *Veniens ad nos*. 10. §. *Illorum*, h. t. et Glossa in l. 3. §. *Confirmat.* ff. h. t. asserens cum aliis, quod fama faciat probationem semiplenam, unde facit deferri iuramentum, ut l. *In bonæ. c. de Iurejurand.*; Archidiaconus can. *Si duo*. 35. q. 6. n. 5; Speculator tit. *de Notoriis criminibus*. § *Fama est*. n. 5. pariter asserens quod fama inducit semiplenam probationem in civilibus; Card. Tuscius lit. F. concl. 66. n. 59. post Alexandrum consil. 103. n. 3. et 5. lib. VII. inferens, quod in civilibus et pecuniariis causis fama faciat plenam probationem, si jungatur cum alia probatione semiplena. Jason in repetit. l. *Admonendi*. n. 242. ff. *de Iurejurand.* Sigism.; Scaccia lib. II. *de Iudiciis*, cap. ix. n. 84. et 85; Sannig. tit. *de Probation.* cap. iv. n. 12. Et pro hac sententia ulterius allegat Mascardus loc. cit. n. 6; Parisium consil. 75. n. 17. vol. 1; Decium cap. 1. n. 11. *de Appellat.* ubi hanc dicit communem opinionem, et servari in pratica. Bellameram decis. 740. et alios. Atque ex his patet varietas sententiarum inter doctores quantum ad propositum.

404. *Melius istud relinquitur arbitrio iudicis, qui pensata qualitate famæ, causisque ejus, et aliis circumstantiis id iudicabit.* — Altera vero pars conclusionis, seu quod iudicis arbitrio sit relinquendum, quantam vim probandi hic et nunc fama obtineat, est probabilior. Siquidem hæc ambas extremas sententias hactenus allatas apte inter se conciliat, dum primam procedere censet seclusis aliis adminiculis, seu conjecturis; secundam vero admittit istis simul concurrentibus: quod eo

magis dicendum, quia fama non censetur legitime probata, nisi nominatis ejus auctoribus, qui sint honestæ vitæ, et bonæ fidei, reddendo simul rationem dicti sui, quibus concurrentibus recte iudex arbitrabitur, quod fama inducat semiplenam probationem, imo quandoque etiam plenam, prout illico amplius dicitur. Accedit textus expressus in l. 3. §. *Ejusdem*. ff. h. t. quæ est canonizata in can. *Si testes*. §. *Sæpe*. 4. q. 3. ubi istud iudicis arbitrio relinquitur iudicandum, illis verbis: « Sæpe sine publicis monumentis cuiusque rei veritas deprehenditur: alias numerus testium, alias dignitas: et auctoritas, alias veluti consentiens fama confirmat rei, de qua queritur, fidem. Hoc ergo solum tibi scribere possum summam (alloquitur iudicem imperator) non utique ad unam probationis speciem cognitionem statim alligari debere, sed ex sententia animi tui te existimare oportere, qui aut credas, aut parum probatum tibi opineris. » Hæc ibi.

405. *Dantur aliqui casus, in quibus fama plene probat.* — Resp. III. Dantur nihilominus aliqui casus, in quibus fama plene probat. Ita Bartolus in l. *De minore*. §. *Plurimum*. circa fin. ff. *de Question.* junctis auctoribus proxime citandis: estque communis. Concordant dicta superius tit. præced. §. 3. n. 61. et seqq. ubi plures enumerantur casus, in quibus sufficit semiplena probatio, vel alia ex conjecturis desumpta. Accedit textus ex jam allegata l. 3. ff. h. t. ibi. « Veluti consentiens fama confirmat. »

406. *Ut in factis antiquis.* — Idem probatur inductione. Sic quippe in factis antiquis, quæ excedunt memoriam hominum, fama plene probat: ut c. *Cum causam*. 13. *de Probat.* ubi fines diocesium in alia probantur per famam; et notat Innocentius c. *Veniens*. il. 1. et Felinus ibid. h. t.; Alexander consil. 83. n. 7. vol. 3; Jason in repetit. l. *Admonendi*. n. 243. ff. *de Iurejurand.*; Mascardus d. concl. 754. n. 7. allegans alios, et communem. Generaliter enim in antiquis, ob difficultatem probationum, leviores probationes admittuntur; prout jam sæpius dictum est.

407. *Et in rebus modici præjudicii.* — Deinde fama plene probat in rebus modici præjudicii. Abbas c. *Veniens ad nos*. 10. n. 9. vers. *Si vero agatur*; Felinus ibid. n. 9. h. t. Bartolus cit. l. *De minore*. §. *Plurimum*. circa fin. ff. d. *Question.* id probans ex l. *Ubi adhuc*. c. *de Iure dotium*. Mascardus d. concl. 754. num. 8. et 17. allegans alios. Concor-



dant dicta superius. § 8. num. 280. et alibi.

408. *Vel quando cum fama concurrunt alia adminicula.* — *Tertio*, potest fama plene probare, quando cum ea concurrunt alia adminicula; juxta illud cap. 1. *de Apellat.* ibi: « Veritate per idoneas personas, et famam loci sollicitè inquisita. » Concordat textus in 6. Illud quoque de Præsumpt. ubi Glossa *γ. Fama loci*, recte infert, quod fama sufficiat ad probationem, si aliæ præsumptiones coadjuvent; ita quod cum fama faciant probationem, et ita, quæ non prosunt singula, multa juvant. Huc adde c. *Præterea de testibus*, ibi: « Si præsumptionem violentam fama consentiens subministret, ac alia legitima adminicula suffragentur. Etenim circumspice iudex atque discretus motum animi sui ex argumentis, et testimoniis, quæ rei aptiora esse compererit, confirmabit » Hæc ibi. Atque idcirco hanc limitationem tradunt Felinus loc. cit. n. 17; Alexander consil. 24. n. 20. lib. II. Abbas consil. 81. n. 1. vol. 2. asserens, quod fama cum aliis adminiculis sufficiat ad probandum quem usurarium manifestum, ut excludatur a sepultura ecclesiastica; idque probans ex c. *Cum in diocesi.* juncta Glossa *γ. Manifestos.* et Joan. Andrea ibid. n. 2. *de Usuris.* Card. Tuschus litt. F. concl. 66. n. 3. et 65. hanc appellans communem opinionem.

409. *Item in iis, quæ sunt difficilis probationis.* — *Quarto*, fama sola, legitime tamen probata, plene probat in iis, quæ sunt difficilis probationis. Card. Tuschus d. concl. 66. n. 66; Alexander consil. 66. n. 9. lib. III. citans Ant. de Butrio in c. *Veniens.* il. 1. *de Testib.* et Bartolum l. *De pupillo.* § *Si quis ipsi prætorio.* quæst. 8. ff. *de Novi oper. nuntiati.* Jason cit. repetit. l. *Admonendi.* n. 252. ff. *de Jurejurand.* Mascardus cit. concl. 754. n. 22. et alii.

410. *Et quando agitur Remedio can. Redintegrandæ.* — *Quinto*, quando agitur Remedio can. *Redintegrandæ* 3. q. 1. ad recuperandam possessionem: nam tunc probata publica fama, debet restitui possessio agenti hujusmodi remedio. Ancharanus consil. 42. n. 2. asserens, in hoc convenire omnes doctores. Mascardus n. 24. allegans alios.

411. *Item, quando agitur ad evitandum peccatum.* — *Sexto*, fama probat, quando agitur ad evitandum peccatum: ut c. *Super eo.* juncta Glossa fin. *de Consanguin. et affinit.* ubi sola fama loci de subsistente impedimento, impedit matrimonium contrahendum.

*Septimo*, quando agitur de probanda morte alicujus in loco remoto, aut naufragio, vel conflictu bellico, juxta dicta n. 398. *Octavo*, fama plene probat in illis casibus, in quibus versatur opinio, et consuetudo hominum: ut in nominum impositione, arg. l. *Librorum.* § *Quod tamen.* juncta Glossa *γ. Libros debere.* ff. *de Legat.* III. *Nono*, quando lex vult, quod sufficiat, famam esse de re aliqua: prout amplius tradit Mascardus cit. concl. 754. n. 24. 25. et seqq. ubi citatis aliis auctoribus universim enumerat triginta duos tales casus.

### § XIII.

#### DE PRODUCTIONE TESTIUM.

412. *Testes regulariter sunt producendi post litem contestatam.* — Quæritur I. Quando, et qualiter testes sint producendi? Resp. I. Testes regulariter sunt producendi post litem contestatam. Ita communis; et patet ex rubrica, totoque tit. « Ut lite non contestata non procedatur ad testium receptionem: » estque jam superius dictum eod. tit. 6. n. 1. et seqq.

413. *Exceptis certis casibus. Remissive.* — Additur « regulariter, » ob certos casus ibid. n. 4. ac seqq. jam specificatos. Potest enim reus etiam ante litem contestatam, petere productionem, et receptionem testium, atque eorum testimonia publicanda curare, si timet v. g. de futura controversia sibi per adversarium movenda, et testes, quos pro sua defensione nunc habere posset, sunt valetudinarii, aut in longinquas regiones abituri; sicque periculum subest, ne ob ipsorum defectum veritas in posterum occultetur, c. *Quoniam.* 5. § 1. « Ut lite non contestata, » etc. Tacentur cæteri casus ibidem videndi.

414. *Qualiter testes sint producendi? Sunt producendi tempore per judicem designando, vel citandi a iudice ad instantiam partis.* — Resp. II. Quando lite jam contestata actor per testes vult probare intentionem suam, verus suam exceptionem, petere a iudice debet admitti ad probandum, seu producendum testes suos tempore per judicem designando: et si testes ad solas productionis preces venire recusent, vel saltem recepta praxis tribunalium ita habeat, tunc ipsi sunt citandi a iudice, ad instantiam tamen partis producentis. Ita Vallensis h. t. § 3. n. 1. Engel eod. n. 1. et alii, præsertim proxime citandi. Idque de-

sumitur ex l. 3. § fin. ff. h. t. ubi iudex jubetur in testibus evocandis attendere ad antiquam locorum consuetudinem: et consequenter iudicis est evocare testes ad petitionem partis, vel saltem huic dare facultatem statuto tempore ipsos producendi.

415. *Testis ultroneus censetur suspectus, et non probat parte contra eum excipiente.* — Et merito hic intervenit auctoritas iudicis, parte petente vel testes citantis, vel eorum productionem pro statuto tempore consentientis. Nam testis ultroneus, sive non citatus, neque post assignatum a iudice terminum a parte producente petitus, sed ultra ad testificandum se offerens, censetur suspectus, id est, nimium parti affectus; ac proinde debet reprobari, juxta l. *Quæ omnia.* § *Sed et si.* ff. *de Procurat.* Nec probat parte adversa contra ipsum excipiente. Felinus c. *In nomine.* n. 23. h. t. istud confirmans ulterius ex Auth. *de Testib.* § *Si vero ignoti.* collat. 7. Bartolus. *Post legatum,* § *His vero.* ff. *De his quibus ut indignis,* etc. Mascardus *de Probat.* concl. 1365. n. 63; Farinacius *de Testib.* quæst. 80. n. 1. allegans plurimos alios.

416. *Si tamen deponat in præsentia partis, valet dictum ejus nemine reclamante.* — Excipit, nisi ejusmodi testis ultroneus in præsentia adversæ partis, et iudicis deposuerit: quia tunc, nemine reclamante, valet dictum ipsius. Ratio est, quia talis non præsumitur se ingerere, sed potius a parte produci, utpote quæ in ejus depositionem altera parte non reclamante consensit: nam, ut inquit Abbas c. *In nomine.* n. 15. h. t. post dom. de Rota decis. 360. ad validitatem testimonii satis est, quod iudex assignet certum terminum parti ad producendum testes: quo facto potest pars intra terminum absque alia citatione testes producere, arg. c. *Constitutus.* 30. h. t. ubi pars ita legitur testes coram iudicibus pro se produxisse. Idem docet Speculator tit. *de Teste.* § *Qualiter.* n. 6; Mascardus cit. concl. 1365. n. 66. et 67. post Rotam decis. 22. *de Testib.*; Bartolum cit. l. *Post legatum.* § *His vero.* ff. *De his quibus ut indignis.* et plurimos alios quos citant.

417. *Partibus præsentibus, et non contradicentibus, non requiritur alia testis citatio.* — Accedit Felinus cap. II. n. 24. h. t. asserens veritatem esse, quod præsentibus partibus, et non contradicentibus, alia testis citatio, vel monitio non requiratur. Et quod dictum illud, « testis ultroneus non probat, » sit verum parte opponente: alioquin vero nocet

ei taciturnitas sua, juxta reg. 43. jur. in 6. « Qui tacet consentire videtur. » Si quidem inhabilitas ista non est talis, cui pars tacite renuntiare non possit: unde redeunt dicta superius. § 1. n. 17. 18. et 21.

418. *Regula est, quod productio et receptio testium, debeat fieri citata parte adversa: alias non probant.* — Quæritur II. Utrum ad productionem testium requiratur citatio partis adversæ; et quid, si quis eam impedire præsumat? Resp. I. Regula est, quod productio, et receptio testium debeat fieri citata parte adversa, contra quam producuntur: alioquin attestations contra non citatum receptæ nihil probant, imo sunt nullius momenti. Ita textus expressus in c. 2. h. t. ubi Glossa, Abbas, Joan. Andreas, Baldus in *Summario*; Mascardus *de Probat.* concl. 683. n. 1; Farinacius *de Testib.* quæst. 72. n. 1. et communis. Id ipsum habetur in Auth. *de Testib.* § *De testibus,* collat. 7. quæ est canonizata in c. 1. cap. 1. h. t. illo tamen addito, quod si citatus cessante justo impedimento venire noluerit, absentia ejus habeatur pro præsentia; et factæ postmodum attestations perinde teneant, ac si eo etiam præsentem factæ sint.

419. *Et hujus ratio.* — Ratio conclusionis est; tum quia, ubi agitur de alicujus interesse, semper ille in iudicium citandus est, l. *De unoquoque.* ff. *de Re judicat.*; tum quia, si testes reciperentur parte adversa non citata, adimeretur huic facultas proponendi legitimas exceptiones, per quas repellerentur personæ testium, aut negotium principale elideretur, c. *Quoniam frequenter.* § 1. juncta Glossa *γ. Ad repellendum,* et *γ. Vel alia.* « Ut lite non contestata, » etc. Hoc autem fieri non debet; cum legitimæ defensiones nulli sint subtrahendæ. Clem. *Sæpe contingit.* § 1. *de Verb. signif.* cum similibus.

420. *Debet etiam citatio illa scribi inter acta iudicii.* — Quinimo non solum pro receptione testium citandi sunt illi, quorum interest; sed etiam super ipsa facta citatione, testiumque depositionibus confici debet publicum instrumentum: ut c. *Significavit.* 41 et c. *Albericus.* 43. h. t. et notat Hostiensis in *Summa.* tit. *de Testib.* n. 8. Aut saltem per Notarium ea est scribenda inter acta iudicii, c. *Quoniam contra.* 11. *de Probat.*

421. *In quo sensu pars adversa debeat audire testes; juxta cap. II. h. t. Juramentum testium trahitur ad totum actum depositionis.* — Cæterum illud, quod in cit. cap. II. h. t. additur,